UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iacobi Bidermani E Societate Iesv Vbaldinus Sive De Vita & Indole Antonii Mariæ Vbaldini Vrbinatis, Monteæ Comitis, Breviarivm

Bidermann, Jakob

Fribvrgi Brisgoiae, 1663

Eius contubernium, virtutis Gymnasium, 48

urn:nbn:de:hbz:466:1-44891

Visual Library

XLVIII. Eius contubernium, virtutis Gymnaſium,

Mihi hanc Antonij conſuetudinem altiùs conſideranti, meritò admirationi ſit; adoleſcentulum pænéque puerum videre, nobilem, & nullis dum Religioſorum legibus vinctum, qui tanto tamen ardore prudentiáque ad huc incumberet, vt æquales ſuos à profana liberáque vita, ad conſectanda diſciplinæ Religioſæ inſtituta videres traduci. Quod ille conſilium etſi non æquè omnibus perſuaſit, vt re ipſa capeſſerent; tamē id profectò feliciter obtinuit, vt eius contubernium (cui à S. Bartholomæo cognomen) nihil admodum à Religioſorum domicilio viſum ſit diſcrepare. Sic enim

dicere ſolitus eſt Pater, qui eorũ ibi conſcientijs moderabatur: VBALDINI ſodalitium, ſibi virtutis Gymnaſium videri, & Collegium Angelorum: Ea in pleriſque ſiue parendum foret, alacritas: ſeu litteris vacandum, quies; ſeu prodeambulandum, modeſtia apparebat. Vidiſſes egregiè moratos omnes; compoſito veſtitu, oculíſque demiſſis incedere; & quam natione diuerſos, tam animis (rem miraculi ſimilem) concordes viuere. Vt primum cubitu ſurrexiſſent, in genua ſponte ſua procumbere; primas de Deo cogitationes, primos ſermones inſtituere, Nihil inter illos acerbum aut triſte: altum in menſa ſilentium; obedientia in ſcholis; erga præſides reuerentia: cetera æquè lau-

data; & pleraque VBALDINI ſimilia.

XLIX. *Exemplum imitati Socij.*

AD hæc Vbaldini, quæ ſuprà poſuimus, exempla, multi commilitonum excitati, paria facere, per æmulationem inceperunt. Cibos identidem, ad quos auidiùs ferri ſe ſentiebant vltro, virtutis cauſsâ, relinquere, atque adeò pane ſæpenumero, & aqua contenti, ab alimentis alijs abſtinere. Noctu item ad verbera voluntariè, vt didicerãt, infligenda conſurgere; & funibus aſperis, aut ferreo contextu latera arctè adſtringere. Atque in his exercitationibus continuandis, ab Vbaldino confirmati, quid carperent aliqui, quid riderent, flocci non pendere. Quam-